

D F N

1604



00
1A
0020

+



R. I. M. S. 16
DISPUTATIO BIBLICA VIII.
è
CAPITE SEPTIMO
ET OCTAVO GENESEOS,

quam
PRÆSIDE
SALOMONE GESNERO S.S.
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PROFESSORE
*in Academia Vitebergensi pro viri-
bus defendet.*

MATTHIAS HÖE, Viennensis
Austriacus.

Ad diem Martij 8. horis locoq; solitis.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Anno clc lo xcviii.

Nobilissimo & celeberrimo Iureconsulto,

DOMINOLEONHAR-
DO HOE, IN ARCHIGYMNASIO
VIENNENSI SENIORI DIGNISSIMO,
Serenissimi Principis ac Domini D. Ferdinandi,
Archiducis Austriae &c. Consiliario ordinario,
nec non Reip. Viennensis Advocato soler-
tissimo, Parenti meo colen-
dissimo,

*Hasce questiones Theologicas, gratitudi-
nis ac observantiae signum, humilime
offero.*

Filius

Obsequentissimus

Matthias Hoë Resp.

Quaestio 1. de tempore & duratione
diluvij.

I.



Capite septimo Genesios superest, ut de tempore & duratione diluvii quaestionem nobilissimam & utilissimam paucis explicemus.

II.

Iosephus lib. 1. Antiquit: cap. 4. initium diluvii in eum mensem reponit, quem Macedones & Graeci *Diluvium in Autum- am*, Hebraei Marsonae, seu Marcheschvan, nostri Novembrem nuncupant, & tradit eum antiquitus mensem fuisse secundum. Atq; ita ille quidem principium diluvii & anni in Autumnum rejicit. Quandoquidem mense secundo diluvium ingruisse Moses commemorat. Quod ipsum etiam Jonathan Ben Vziel in sua Thargumica interpretatione tradit, cap. 8. Gen: ita scribens: Et in mense Mercheschon, vigesima septima die mensis siccata est terra.

III.

Matthæus quoq; Beroaldus lib. 1. sui Chronici cap. 7. & Thargumica versione astruere conatur Hebraeos olim ante liberationem ex Aegypto annum ab Autumno auspiciatos fuisse.

IV.

Nam 1. Regum 8, ubi de inauguratione templi Hierosolymitani agitur, ita legit hebraea veritas: Convenitq; ad Regem Salomonem vniversus Israel in mense Ethanim, in solenni die, ipse est mensis septimus. Chaldaea vero paraphrasis ita refert: Et collecti sunt ad Salomonem omnes viri Israel in mense fortium, festo die, quem vocabant olim primum mensem, at nunc est mensis septimus.

V.

Verum haec Iudaeorum inscitiae & caecitati adscribenda sunt. Cum enim Iudaei in Babylonico exilio sublata schola sacerdotum, penes quos erat festa & calendas singulorum mensium clangore tubae publice significare, Num: 11. antiquam & a Mose institutam anni rationem oblivioni tradidissent, & una cum moribus exterarum gentium inter quas vivebant, Ephemerides

A 2

Schola Hierosolymitana ephemerides consti- tuebat.

rides quoq; illarum assumsissent, priscum & perpetuum opinati sunt, cui nuper assueverant, & peregrinam anni computationem pro genuina, genuinam pro peregrina habuerunt.

V I.

*Judei post
B byloni-
cum exili-
um anise-
runt verā
rationem
Epheme-
ridum.*

Atq; hunc errorem tum Iosephus tum Thargumicus ille interpres erravit. Vterq; enim Babylonica calamitate recentior est. Neq; id mirum, cum idem Iosephus eodem illo capite dilu-
vium in annum mundi 2656. referat, quod capite 5. Gen: anno ab orbe condito 1656. ingruisse patet: atq; ita totis mille annis Iosephi calculus à veritate abest.

V II.

*Iosephi
erroris
crassissimi
in 6. cap.
Genes.*

Quin ibidem hic quoq; foedissimus est χρόνο λογία error, quod imbres nonaginta continuos dies ruisse affirmat, cum Moles quadraginta dierum & noctium saltem cap. 7. meminerit: nec magis sobrius ille, quod angelos cum fæminis concubuisse perhibet, quod Noam malitia hominum concitatum in aliam regionem secessisse, Deumq; insuper decrevisse ait, quod novum & à vitijs purum genus humanum instaurare vellet, quod item 120 annos, penitentiaæ datos, ad spacium vitæ humanæ detorquet. Quæ sanè omnia liquidò ostendunt, Iosephum hæc ex Rabbinorum traditionibus falsissimis & stolidissimis commentarum esse, Mosen ipsum vix per transennam aspexisse.

V III.

Ex universa verò scriptura veteris Testamenti non ullum proferetur vestigium saltem anni in calculo sacro Spiritusq; Sancti proprio aliquando mutati.

I X.

*Moses in
suis libris
semper ea-
dem anni
ratione
utitur.*

Ac ut hoc ipsum firmissimè statuamus, non modò illa nos ratio jubet, quòd Moses profectò in suis libris ejus diversitatis, si qua uteretur, mentionem factururus fuisset. Sed etiam ista longè evidentissima. Nam si Moses infallibilem chronologiam ab exordio mundi usq; ad ingressum populi Israëliti in terram Chanaam annotare voluit, ut profectò citra controversiam certum est, quomodo id præstaret, si alia annorum ἐποχὰι, initia, & periodi, aliusq; mensium ordo ante exodum, quam post, ab eo observata essent? Hinc enim inexplicabilem historiarum confusionem oriri, omnemq; illam industriam, quam in annumerandis annis patriarcharum Gen. 5. & postea insumsit, perire: necesse foret.

Ex

X.

Ex quibus sanè conspicitur non alium, sed eundem esse mensē secundum in historia diluvij Gen. 7. & 8. qui etiam in Exodo & postea ubiq; in sacris literis. Atq; ita diluvium nequam in Autumnum, sed in vernal tempus incidit.

Mensis secundus in Genesi & Exodo idem.

XI.

Quæ etiam veteris orthodoxæ Ecclesiæ sententia fuit, ut ex Ambrosij libro licet intelligere, cujus cap. 12. hæc extant: Mensē secundo, hoc est, Aprili (primus enim mensis Martius est, quo habet Iustus natalem, quando noctium dierumq; æqualitas æstimatur, hoc est, octavo, ut Romani putant, vel ut alij quinto Kalend. April.) mense, inquam, secundo, hoc est Aprili, septima & vicesima mensis cæpit diluvium.

Natalis Noeh in veteri Ecclesia verno tempore celebratus.

XII.

Thargum quoq; Hierosolymitanum disertè dicit: Et qui-
evit arca in mense septimo, ille est mensis NISAN: Mensē autem Nisan primum esse & eum ipsum in quo Pascha celebratur, extra controversiam est. Esth. 3, 7. 12. Respondet Nisan nostro Martio partim, partim Aprili. Georgius quoq; Cedrenus (licet in alium mensē) in vernal tamen tempus diluvium refert: Mensē enim Majo prima die septimanæ Noam in arcam ivisse existimat.

XIII.

Quò etiam illa ratio plurimum facit. Nam si mense Novembri in extremo autumnno (erat enim 27. dies mensis) Noa ex Noah in arca egressus est, alterutrum fingamus oportet, quòd nimirum vel comætu illo, quem in arcam collegerat, se suosq; & animalia, si non integrum annum, maximam certè partem, usq; dum novæ fruges anno sequenti nascerentur, sustentarit: quòdq; egredi. factura animalium & maximè volucrum, gallinarum, hirundinum, ovium item & reliquorum, in sextum usq; mensē ab egressu dilata fuerit: obstisset enim hyems: Aut si hoc absurdum videtur, illud statuatur, necesse est, quòd Deus novo modo sub exitum anni gramina & fructus alios ului hominum & animalium necessarios, simul & germinare & maturescere, quòd pullos item avium sub initium hyemis excludi, & non absq; miraculo in frigore superstites esse jusserit. Prius illud ἀδύνατον, cùm bestię & volucres à Noa ilico in omnes mundi plagas discesserint: Post-

A 3;

rius:



rius autem nova miracula absq; scripturæ indicio comminiscitur.

XIV.

*Diluvium
fuit verno
tempore.*

Constat itaq; diluvium verno tempore initium suum, nec non exitum vertente anno, habuisse. Sicut enim die xvii. mensis secundi ætatis suæ anno sexcentesimo Noah in arcam intrat, Gen. 7. v. 11. 12. Ita die xxvii. mensis secundi, ætatis suæ anno sexcentesimo primo exit, Gen. 8. v. 14. decendium ultra annum ibi commoratus.

*Noah ul-
tra annum
dies decem
est in arca.*

XV.

Græci perperam in priore loco pro singulari, Beschibgha ghafar, quod x v i i. notat, legerunt plurale, Beschibgah veghæf rim quod xxvii. designat.

XVI.

*Anni lu-
nares.*

Iam quod ad durationem diluvij attinet, inprimis observatione digna est anni Hebræi mensiumq; quantitas, de qua variè à multis disputatur. Contendunt nonnulli Hebræos & Mosen suis in libris annum usurpare lunarem, qui aliquot diebus solari est angustior.

XVII.

Alienum autem id esse à veritate, historia diluvij rationibus evidentissimis arguit.

XVIII.

Primum enim Moses initium diluvij constituit, ut modò indicatum, diem xvii. mensis secundi.

XIX.

*Diluvium
durat in-
tegrum
annum So-
larem.*

Deinde ab eo die (xvii. mensis secundi) usq; ad undarum decrementum dies cl. numerat. Sic enim ait Gen. 7. v. 24. Et aqua stetit super terra centum quinquaginta dies: & iterum cap. 8. v. 3. Aqua decrevit & absorpta est in terram, post dies centum quinquaginta.

XX.

Hi verò dies cl. à die xvii. mensis secundi deinceps numerati in die xvii. mensis septimi finiuntur, ut verbis luce meridiana clarioribus Moses annotat Gen. 8. v. 4. Die xvii. mensis septimi arca demissa est in montes Ararat.

XXI.

Nam si arca in vertice montium Ararat stare potuit, ex aquæ iuga illorum ementisse necesse est. Porro

XXII.

Porro inter xvii. diem mensis secundi & xvii. diem mensis septimi, menses intercedunt quinq;, quos Moses in dies cl. partitur.

XXIII.

Accipe dies cl. eosq; in quinas æquales partes divide, inuenies cuilibet mensi tricenos dies competere. Quemadmodum vicissim triceni dies, quinquies adaucti producunt dies cl.

XXIV.

Extra-controversiam proinde est, Mosen mensibus singulis dies tricenos adscribere.

XXV.

Neq; enim causa proferri ulla potest, cur reliquorum mensium dispar quantitas fuerit, quàm istorum quinq;, quorum dies à Mose annumerantur.

XXVI.

Menses deniq; duodecim *τριάκονθήμεροι*, id est, tricenis diebus terminati complectuntur in uniuersum dies trecentos sexaginta, quæ periodus non est Lunaris, sed solaris anni, epactis diebus quinq; in calce cuiusq; anni adjunctis, Nullus hic lunæ locus.

Periodus anni solaris.

XXVII.

Præter hanc rationem ex historia diluvij depromptam idem alia quoq; argumenta comprobant, & in primis festorum Iudæorum determinatio. Festa enim tria erant Solennia apud Iudæos, in quibus catholicæ celebrabantur universæ gentis synodi. Singula vero singulis anni *ἑσάτης* seu partibus, (hyeme excepta, quæ ad iter incommoda,) definita fuerunt. Nam pascha diem habebat decimum quintum mensis primi Exod 12. Solennitatem Paschatos, diebus interjectis quinquaginta, pentecoste sequebatur, maturis jam frugibus Levit. 23. Scenopegia deniq; in autumnum & exitum anni incidebat.

Festa Iudæorum e vincunt, illos anno solari usos fuisse.

Pascha. Pentecoste. scenopegia.

XXVIII.

Atqui certum est anni tempora non ex Lunæ circumvolutione, sed è solis motu describi. Certum etiam, eum fuisse apud Iudæos mensem primum, cuius Calendæ Aequinoctium vernum proximè vel antecessère, vel sequutæ sunt: Aequinoctium autem

Mensis primus Iudæorum.



rem solis circuitu confici. Neq; dubium, quod exactis Septem festi Paschatis diebus manipuli Spicarum, & in festo Pentecoltes primitiarum panes consecrati fuerint. Quis verò adeo ab omni ratione alienus, qui non intelligat, hæc omnia Solem sua revolutione, non autem Lunam conficere.

XXIX.

Festa non fuerunt distributa juxta Lunæ sed secundum solis motum.

Festa suis cardinibus fuissent

mota, si Iudæi annū habuissent lunarem.

Duodecim præfeti Salomonis qui singulis mensibus ministrant.

Iam si anni fuissent apud Iudæos Lunares, non solares, intra paucos sanè annos festa suis cardinibus dimota, & in præcedentes anni partes traducta fuissent. Cùm enim annus Lunaris aliquot diebus angustior sit solari, citiusq; decurrat, fieri nullo modo potest, ut iidem menses in eadem anni tempora perpetuò incidant: Sed necesse est, ut propter dierum defectum mensis Nisan, in quo celebrabatur Pascha, ab initio Veris in mediam usq; hyemem, indeq; paucorum annorum progressu in autumnum, tandemq; etiam in æstatem devolvatur. Eiusmodi verò anticipatio ne eveniret, ideo festorum tempora Moses à frugum terræ conditione, quæ beneficio solis contingit, definit, ut ferias illas solennes è solis ambitu fluere sciremus.

XXX.

Porro in historia Davidis 1, Par. 27. & Salomonis 1. Reg. 4. duodecim præfeti numerantur, quorum quilibet mensem integrum in ministeriis præstò fuit. Per singulos enim menses in anno singuli necessaria ministrabant. Unde duo colligimus: Primùm quidem, annum habuisse menses duodecim, qui ordine enumerantur 1, Par. 27. Deinde menses etiam fuisse æquales *τριακονθιμέρες* videlicet, ut supra ostensum. Aequalia enim erant ministeria, Iam vero anni lunares nec semper duodecim, sed aliquando etiam tredecim, nec perpetuò pares, sed impares menses habent.

Caput octavum.

Questio II. de ἀναμνησὲς ἔς recordatione Dei.

XXXI.

Recordatio Dei.

Caput octavum commemorat, quo pacto Noah è novo & raro illo carcere, quem totum annum inhabitaverat, unà cum familia & animantibus egressus sit, & Eucharisteria Sospitatori & liberatori suo Domino celebrarit,



XXXII.

Principiò quidem Moses, Deum ait, recordatum fuisse Noah, qua voce non obliuionem Deo adscribit, sed ejus *Recordatio Dei.* φιλανθρωπίαν & ανθρωποπάθειαν, imò φιλοσογίαν juxta Theodoretum erga homines & bestias Pl. 36. 103. celebrat: simulq; Noæ tum supplicationes, tum imbecillitatem, cui auxilii dilatio videbatur negatio & obliuio, significat, Recordatio enim Dei non πάθος & affectum, sed ἀποτέλεσμα effectum denotat,

XXXIII.

Eleganter id explicat Chrysoft: hom: 26. hisce verbis: *Recordari* Crassa hæc verba (recordatus est) naturali nostræ infirmitati *est misereri.* adscribamus. Nam quantum ad ineffabilem naturam attinet, indignum fuisset hoc verbum: quantum autem ad nostram imbecillitatem, appositè est dictum. Recordatus est, id est, miserus est justi in arca agentis, misertus est, quòd in tanta esset angustia, & rerum difficultate constitutus & ignoraret, quando nam molestiæ illæ finem essent habituræ.

*Questio III. de montibus
Ararat.*

XXXIV.

Die 27. mensis septimi arca in montes Ararat demissa quieuit. Montes Ararat Thargumica versio Onkelòs nominat, montes Cardu, non autem explicat. Thargum Hierosolymitanum, hoc addit: Et quieuit arca mense septimo, ille est mensis Nisan, super Tauro cedrorum. Nomen Tauri vnum est Cardania & nomen Tauri vnum est Armenia, & ibi ædificata est ciuitas Armeniorum in terra spaciola, hoc est, in Armenia maiore. Hæc Tharg. Hier:

XXXV.

Hieronymus similiter exponit montes Armeniæ, cui *Montes* astipulatur Iosephus lib. 1. Antiquit: cap. 4. ita scribens: *Ararat ibi* ἀποβατήριον, id est, egressorium loco nomen Armeni fecerunt, quod nimirum egressus ibi sit Noah ex arca. Euseb. in chron: montes illos itidem superiori Armeniæ assignat, in Persarum confinio.

B

36. Bero-

XXXVI.

*Bitumen
arca pro
amuleto
usurpatū.* Berofus Chaldaeus nomen Chaldaeum Cardu vel Cordu
(cameiz enim aliās per a crassum, aliās per o profertur) interpre-
tatur, & sententiam de Armeniis montibus comprobat. Fertur,
inquit, navigii huius pars in Armenia apud montem Cordæo-
rum superesse, & quosdam bitumen inde abrasum secum re-
portare, quo vice amuleti loci eius homines uti solent.

XXXVII.

*Montes
Cordu, vel
Cardu vel
Cardyen-
ses.* Sic & Epiphanius libr. 1. tom. 1. ab initio scribit. Arca re-
quievit in montibus Ararat, per mediam Armeniam & Cardy-
ensium terram in monte Lubar appellato, isthic prima habitatio
hominum fit post diluuium. Cedrenus pro Lubar legit Luban.

XXXVIII.

*Reliquia
arca tem-
pore Epi-
phany su-
pererant.* Et lib. 1. tom. 1. hæc: 18, quæ est Nasaræorum: Adhuc
hodiè reliquiae arcae Noæ ostenduntur in Cardyensium regione:
& si quis omninò quæsierit, reperiet etiam reliquias altaris.

XXXIX.

*Carduchi.
Cardueni.
Aratiatici
populi.* Plinius etiam lib. 6. cap. 9. Adjabenos Armeniæ jungit,
& eiusdem libri capite 15. Adjabenis, inquit, connectuntur
Carduchi quandam dicti, nunc Cordueni. Et circa eadem illa
Armeniæ maioris loca Aratiaticos populos (qui ab Ararat fortè
nomen habent) collocat libro eodem cap. 13.

XL.

*Montium
Cordu si-
tus.* Sed cùm montes Cardu, sive Gordyæi, seu Cordæi, vel
Gordæi à Babylone in occasum septentrionalem declinent, eru-
diti quidam hanc opinionem repudiant: Nam Gen: 11. v. 2. dici-
tur, posteros Noæh ab oriente in terram Sannaar profectos esse.
Si verò ex Gordæis montibus venissent, non ab ortu, sed occasu
potius in ortum progressi fuissent.

XLI.

*Thargum
partē Tau-
ri pro toto
nominat.* Dubium autem non est, cùm Caucasus sit πὸ λυάνυμος,
quòd utrumq; Thargum, Berofus & Epiphanius partem Cau-
casi seu Tauri, pro toto Caucaso vel alia eius quacunq; parte
nominarint, sicut illud é Thargum Hierosolymitani verbis mo-
do adscriptis depræhenditur. Nam in Caucasus portis montes
Gordyæos collocat Plinius lib. 6. cap. 11. & Tigrim fluvium in
majore Armenia ortum montes Gordyæos lustrare, indeq; ad
Babyloniam devolvi libro eodem cap. 27. commemorat, cuius
ductum.

ductum nepotes Noë in itinere secutos esse, non est absurdum. *Nepotes*
Et Euphratem in Ararat montib⁹ Armeniæ oriri scribit Niceph⁹; *Noah se-*
lib. 9. cap. 19. Strabo quoq; lib. 11. ait, esse, qui Taurum Gordy- *quantur*
æos montes nuncupent. **XLII.** *ductu Ti-*

Quare cum hac interpretatione non pugnat, sed con- *gris fl.*
venit illorum sententia, qui Ararat existimant esse Imaum *Ararat*
altissimum montem, qui Indiam & Scythiam dirimit, *mons al-*
de quo Plinius lib: 5. cap. 27. Taurus mons, inquit, ab *tissimus*
Eois veniens littoribus, immentus ipse & innumerarum genti- *Imaus.*
um arbiter, mediam distrahit Asiam, numerosis nominibus & *Imaus.*
novis, quacunq; incedit insignis. Imaus prima parte dictus, *Caucasus.*
mox Emodus, Paropamisus, Circius &c. Atq; ubi se quoque *Cerannio.*
exuperat, Caucaus. In vniversum verò græcè Ceraunius.

XLIII.

Aristoteles libro 1. Meteoror: cap. 13. Caucasus, inquit,
mons est, eorum, qui ad æstivum solis exortum vergunt, mul-
titudine pariter atq; celsitudine maximus.

XLIV.

Et sanè Armenia major versus ortum Caspio mari, quod
totum Caucasii montibus cingitur, clausa est, teste Plinio lib. 6.
cap. 9. Imaus verò, Emodus & Paropamisus sunt Caucaii par-
tes, ut præter ista, quæ modò adducta sunt, manifestè scribit
Plin. lib. 6. cap. 17.

XLV.

Inter Indiam proinde Scythiamq; in maiore Armenia al- *Arc a sub-*
tissimo Orientis monte Caucauo arca subsedit, ibidemq; prima *sedit in*
post diluvium Ecclesia plantata est, ut tradit Epiphanius lib. 1. *Armenia.*
tom. 1. ab initio. Tam vetustum est Ecclesiarum Christi, quæ *Ecclesiæ*
adhuc hodiè sunt in Armenia, hospitium, quiete arcæ olim ad- *hodie in*
umbratum. Ita deniq; altissimus & populorum multitudine *Armenia.*
numerosissimus mons iste typus fuit civitatis in monte positæ, id *Mons ty-*
est, Ecclesiæ, quæ super Christum extructa est Matth. 5. 16 *pus Eccle-*
Cor. 3. *sia.*

XLVI.

Pulchrè autem cum hac expositione convenit, quod in *Filij Se-*
historia Sennacheribi 4. Reg. 19. v. 37. Es. 37. commemoratur; *nacheribi*
cùm Rex Assyriorum Sennacherib adoraret in templo Dei, seu *in terram*
idoli sui Nisroch, filii ejus Adramelech & Sareser interfecerunt *Ararat su-*
eum, & profugerunt in terram Ararat, seu ut Onkelos reddit, in *giunt in*
terram *terfecto*
patre.

terram Cardu. Quod enim Armeniorum regio versus orientem prospectum maris Caspij & Medorum regionem, quæ Babylo- nica seu Assyriæ monarchiæ nobilissima pars erat, contermi- nam habeat, Plinius libr. 6. cap. 9. tradit. Quemadmodum e- tiam regnum Ararat tanquam Medis aut subiectum aut conjun- ctum contra Babylonem excitatur Ier. 51. 28.

Explora-
tio per
corvum.

Questio IV. de exploratione per corvum.

XLVII.

Cum Noah intelligeret arcam in cacumine montium Ara- rat immobilem stare, perq; fenestram insuper aliquantulum ter- ræ circa arcam conspiceret, ut Iosephus ait: certior fieri cupit, utrum in decivioribus etiam orbis partibus inque vallibus aqua imminuta esset. Expectaris proinde à Calendis decimi mensis die- bus quadraginta, corvum emittit explorandæ ejus rei gratiâ.

XLVIII.

Ea verò missio juxta mensium quantitatem, quæ τριακον- δήμερος est, supra annotatam, in diem undecimū mensis undeci- mi, qui Januario nostro & Februario respondet, incidit. Calen- dæ enim decimi demendæ sunt.

XLIX.

Porta in
arca.

Chrylostomi interpres hom. 26. corvum aperta janua e- missum legit, quod falsum. Neq; enim januam foris à Deo oc- clusam & munitam Noah referare potuit, ideoque in arca com- moratur, donec Deus illum velut è carcere dimittat. Græca voce, qua septuaginta utuntur, θυρίς, quæ aliàs θυρίδιον ostio- lum, aliàs fenestram notat, deceptus est, cogitare debebat por- tam in arca non exilem θυρίδα, sed ὑψίπυλον καὶ εὐρύπυλον θύραν fuisse, ut ingentes Cameli, Elephantes, Bisontes, Vri, bubali, per eam ingressi iudicio sunt.

L.

Zohar.
Nehor.
Challon.

Nos itaque hebræos fontes secuti, non portam, sed fene- stram arcae apertam fuisse statuimus. Moses enim ait, quod Noah reclusit Challon; quæ vox propriè fenestram notat. Thargu- mim onk. & Hierosolym: nominant Cauvath. Supra verò capi- te sexto vocem Zohar Onkelos reddiderat, Nehor, id est, fene- stram, per quam lux ingreditur. Jonathan verò Ben Vziel no- men Zohar hoc pacto fuerat interpretatus, quasi Deus ad Noam dixisset: Abi ad Pisonem fluvium (de quo Gen. 2. dictū, quod gemmarum sit ferax) & congrega inde Ioreda, & construe illud in arca ad illuminandum, ut lucem præbeat vobis, & ad cubitū. sonficies illud Ioreda quid propriè sit nemini ex interpretibus liquet.

liquet, præterquam quod ex circumstantijs colligi potest, eam
vocem crystallum significare vel carbunculum aliamve lucidam
seu pellucidam gemmã. Vnde aliud Thargum ita reddit: sunt qui
dicant Zohar esse fenestram, & sunt qui dicant esse lapidem pre-
ciolum, lucentem in arca. Sed hæc $\omega\alpha\gamma\epsilon\gamma\omega\varsigma$.

L I.

Non rediisse corvum græcus & latinus habet interpretes. He-
bræa autem veritas ait, exijt eundo & redeundo, usq; dum aquæ
ficcatae essent. Thargum Onkelos: Corvus egrediebatur & re-
vertendo revertebatur, donec siccareretur aqua de superficie terræ:
quo pacto etiam Ionathan loquitur: corvus avolando & revo-
lando revertebatur, donec aqua abscederet à terra.

*Corvus
an redi-
erit.*

L I I.

Quæ sententia planissima est, quod nimirum corvus hinc
inde in montanis Ararat circa arcam volitarit, seq; libertate aëris
oblectarit. Vtrum in arcam redierit planum non est. Certum ta-
men corvum non esse ab aquis interceptum. Erat enim sive mas
sive fæmina unici seminarij illius conjugij. Fallitur itaq; August:
lib. 12. contra Faustum & tract. 6. in Ioh. & in quæst. Gen.

*Corvus
circa ar-
cam voli-
tat.*

L I I I.

Quia verò pene omnes corvum non rediisse statuunt, ideo
causas absentiaè varias comminiscuntur. Chrysofomus quia avis
illa, inquit, uti est immunda cum desissent aquæ, incidit in ca-
davera hominum & brutorum, quibus, invento sibi congruo ci-
bo, inedit.

*Interpre-
tes reddunt
causas
quare cor-
vus emans-
erit.*

L I V.

Hunc pleriq; sequuntur, & in particula, donec, sua cum sen-
tentia concilianda, supervacaneam intumunt operam. Nihil eni
scrupuli habet, si cum Mose dicamus, corvum hinc inde volitasse
circa arcam donec terra planè exiccaretur.

Donec.

L V.

Et adjecit scriptura verbum hoc donec, non quod postea re-
dierit, cum terra planè sicca esset, sed idioma est scripturae divi-
nae, ut ibidem scribit Chrysof: Ambrosius libro sæpius adducto,
cap. 17. similem hanc esse phrasin illi, quæ de Maria $\alpha\epsilon\pi\alpha\gamma\delta\epsilon\upsilon\omega$
Matt. 1. usurpatur, statuit.

L V I.

Idem Ambros. cap. 17. libri indicati annuit superstitionem
ab hoc corvo manasse, quod pleriq; quasi nuncium futuro-
rum corvum æstiment, & voces ejus observent, volatusq; ri-
mentur. Cui verò potius refragatur id, quod hie de corvo scrip-
tum est: neq; enim ea fide legationem suam expeditam dedit,
qua Noah voluit.

B 3

Rabina

Corvus an
femella
sua me-
tuerit.

LVII.
Rabini pro diabolica sua temeritate & audacia fabulati sunt, corvum ideo noluisse ab arca longius abire, quod femellæ suæ metueret & quidem à Noah. ô impurum Spiritum, cui talia in mentem veniunt.

Questio V. de exploratione per columbam.

Explora-
tio per co-
lumbam.

LIII.
Cum verò corvus hoc pacto divagaretur, intelligere justitiæ præco potuit montium juga passim ab aquis liberata inq; illis jacentia pecorum hominumq; cadavera pabulum illi præbere: quapropter ut de vallibus etiam cognosceret, num exiccatae essent, ex illarum avium genere unam emittit, quæ prata et agros confectantur & semina legunt, atq; ita columbam profert.

Prima co-
lumba cur
ilicò re-
vertatur.

LIX.
Causam, quòd columba ilico revertitur, Moses ait aquarum fuisse illuvionem, quæ universam terram adhuc operuerit. Id verò nihil adversatur ei, quod antea dictum est, montium vertices ante dies 40. & plures, supra aquam extitisse. Nec opus est, ut ὕσερον πτόρερον in corvo & columba fingamus ut August: quæst: 14.

LX.
Per terram enim campos & agros intelligi debere non modò è natura columbæ, quæ humilia loca camposq; jacentes amat, sed etiam ex eo certum est, quod cacumina montium jamdudum ex aquis educta, corvumq; hinc inde volitantem Noa de fenestra conspiciebat, ut ad id nullo indice indigeret, sed de campestrium locorum siccitate certior fieri solummodo cuperet.

LXI.
Atq; hoc ipsum eruditè observavit Chrysoft: hom. 26. qui ait, Mosen non indeterminatè dicere, illam non reperisse, ubi quiesceret (poterat enim montes volatu contingere, inq; arborum & scopulorum capitibus hætere) sed determinatè ait, illam non invenisse, ubi pes ejus requiesceret, ut planum fieret, non de alarum, sed pedum requie sermonem esse, quod ob lubricitatem limique profunditatem non stare, non ambulare, non grana quærere potuerit.

Quando

LXII.

Quando emissa sit primum columba inter eruditos non convenit. Nam alij factum id esse die quadragesimo post corvi discessum existimant, inter quos est Scaliger lib. 3. de emendatione temporum cap. ultimo, qui hoc assumpto Aeternitate seu Lemmate integrum numerum dierum 365, quo solaris anni periodus absolvitur, inde colligit hoc pacto. Novem menses $\tau\eta\iota\alpha\kappa\upsilon\delta\eta$ Scaliger $\mu\epsilon\gamma\omicron\iota$ habent dies 270. quibus si addatur primus decimi mensis, qua hypo- emergunt dies 271. A primo decimi mensis die Noa dies quadra- thesi colli- ginta expectat & emittit corvum, iterum quadraginta usq. ad gat anni egressum columbae primum, inde septem usque ad secundum & solaris in- totidem ad tertium. Hi numeri in unam collecti summam exhibent anni solaris solidi & integri amplitudinem, quae est die- tegrum periodum. rum CCC, LXV.

LXIII.

Alij eodem die, quo corvus evolavit, columbam emissam Septem dies & reversam existimant. Alij denique $\epsilon\beta\delta\omicron\mu\acute{\alpha}\delta\alpha$ inter corvi & inter co- columbae legationem intercessisse probabili ratione colligunt, lumbarum Quia nimirum totidem dierum intervallum Noa postea quoque, allegatio- cum secundum & tertium emitteret, observavit: & insuper quia nes inter- Moses dilerte de altera columbae profectioe scribit, expectas- venere. se Noam adhuc dies septem alios seu posteriores & insequentes. Vox enim Ghiod adhuc, & Acherim (posteriores seu alios), in- fert, septem priores & antegressos.

LXIV.

Etsi autem hoc pacto numerus dierum anni solaris non expletur: attamen mensium series conficitur. Nam primus columbae exitus in 13. alter in 25. diem mensis undecimi, postremus in secundum duodecimi congruit.

Questio VI. de numero columbarum.

Numerus columbarum.

LXV.

Ambrosius porrò cap. 19. hastenus usurpati libri, ut & Iosephus, Augustinus, Zonaras, Eusebius, Beda, & plerique omnes unam solummodo columbam terna legatione functam intelligunt.

LXVI.

Quibus hebraeus textus astipulari videtur, Is enim sine ulla mentio-

Vna colu-
ba ter mis-
sa.

mentionem vel numeri vel discretionis ter reperit hæc verba
emisit Aeth Hajonah, columbam, & He præfixum peculiaritatem
rem columbam denotat, quasi diceret, misit illam ipsam columbam.
Quam sententiam quoque Lutherus approbat, licet nonnullis
diversum videatur.

Quæstio VII. de folio oleæ.

*Folium
oleæ.*

LXVII.

Columba cum secundam legationem confecisset, folium
oleæ in rostro asportavit, ex quo Noah statum terræ intelli-
geret.

LXVIII.

Græcus habet κάρφος, id est, festucam: Hieronymus ramum
virentibus foliis: Chrysostomus folium olivæ siccum, sed
hebræa vox Tharab folium notat rostro decerptum, quod Chal-
dæus quoque observavit.

LXIX.

*Vnde fo-
lium.*

Vnde folium, Iudæi acriter dimicant, dum alii amore patriæ
è monte oliveti prope Hierosolymam siti, alii è paradiso
advectum somniant: neutri rationem scripturæ adducunt.

LXX.

Illud certum, quod non longè à vertice montis Ararat
illud quærere potuerit, cum eodem die, quo emissa fuit, sub
vesperam spoliolum hoc & renascentis terræ insigne attulerit.

LXXI.

planum etiam, quod non è montana sed campestri olea
decerptum sit, alioquin enim Noah haud inde ratiocinari potu-
isset, loca ad radices montium Ararat, qua Caucasus se in sinus
diffundit, & diversis populis aperit, jam sicca esse: id quod so-
lum scire cupiebat.

LXXII.

Siccum non humidum fuisse folium Ambros: cap. 19. ex
eventu colligit, quia siccitatis erat argumentum. Ac quia ex
arbore non procera, sed humili defractum, ideo illud ipsam
multò magis confirmabat.

*Folium
quò inde
exortu.*

LXXIII.

Sed utrum illud folium ante diluvium fuerit exortum, an
post

post diluvium, rationibus utrinque probabilibus niti censet Ambrosius: eodem in loco, si ante, semina reservata, si post, restituta, Iustus collegit, & utroque divinae misericordiae argumentum animadvertit.

LXXIV.

Ad vesperam quod redit columba, id Chrysostomus indicio fuisse existimat, toto illam die pastam esse.

LXXV.

Si quis autem quaerat, cur olivae folium decerpserit & non alterius vel fruticis vel arboris, & qui columba ἀλογον ζῷον, id scire potuerit, cuius rei gratia emissa fuerat? responderet Chrysostomus, Totum hoc factum oeconomia seu dispensatione divina & quod columba invenit, & quod ore receptum ad Iustum attulit.

Columba
Dei ductu
folium oli-
vae decer-
pito

LXXVI.

Allegorias de corvo & columba eruditè & copiosè persecutus est Cyrillus lib. 3. in Genesim.

LXXVII.

Refert enim corvus, ut plerisque placet, hypocritarum & epicuræorum imaginem, qui delitijs carnis & libertate mundana gaudent. Columba verò suis proprietatibus imago piorum est, ut Salvator ipse Matth. 10. tradit. Sunt autem columbae ἰδιώματα hisce usitatis versiculis compræhensa:

Est sine felle, gemit, rostro non ledit, & ungues

Possidet innocuos, puraque grana legit.

Gaudet aquis, quaritque greges, celerique volatu

Tuta petit, fetus educat alterius.

Masculus ipse fovet fetus atque incubat ovis,

Conjugij servant fœdera casta simul.

Videatur de hac re Plinius lib. 10. cap. 34.

LXXVIII.

Ad historiae verò sacrae certitudinem ἐκ περιθρίας etiam confirmandam non parum facit, quod ethnici quoque scriptores columbae istius meminerunt. Etsi enim illi vel Deucalionis diluvi-

C

um

nam cum hoc commiscant, vel circumstantias istius nostri perpe-
ram ad illud transferunt, certum tamen est, quod fama cata-
clysmi toto orbe divulgata fuerit,

LXXIX.

Plutarchus etenim in libro, terrestriane an aquatilia ani-
malium sint prudentiora, scribit: οἱ μὲν μυθολόγοι τῷ Δευκαλί-
ωνί φασὶ περιεραρῆν ἐκ τῆς λάρυνακος ἀφιεμένῃ, δῆλωμα γενέσθαι,
χρημῶνος μὲν εἰσω πάλιν ἐνδυομένῳ, εὐδίας δὲ ἀποπτᾶσαν. Hoc
est, poetæ Deucalioni perhibent columbam ex arca emissam,
indiciū fuisse tempestatis quidem, cū intro iterum rediret,
serenitatis autem cū avolaret.

LXXX.

Et proculdubio hinc etiam illud est, quod Herodotus in
Euterpe a sacerdotibus Dodonæis se audivisse commemorat, du-
as columbas è Thebis Ægyptiacis venisse, quæ humana voce
locutæ sint, & oraculorum templa institui præceperint. Quod
enim Cananæi statim post diluvium varias superstitiones & in-
ter cæteras quoq; ex corvo & colūba Noæh instituerint non est
dubium.

CORONIDIS LOCO.

Georgius Cedrenus in compendio historiarum.

Noe Xysu-
thrus.

ΟΤΙ ὈΝῶε ξίσυθος παρὰ χαλδαίοις ἐλέγετο. ὅτι πρὸ τῶ κατακλυσ-
μῶ ἔτε ἔθνος ἦν, ἔτε βασιλεία, ἔτων δὲ περίοδος ἦν. περιέχεται
δὲ ἐν τῇ βίβλῳ τῶν ἀποκρῦφων ἐνώχ, ὅτι οὐρίκλ ὁ ἄγγελος ἐμήνυσε τῷ
ἐνώχ, τί ἐστὶ μῆρ, καὶ τρῶν ἡ, καὶ ἐνιαυτὸς, καὶ τὸν ἐνιαυτὸν ἔχειν υβ-
ῆδομάδας.

Noa Chaldæis Xisuther dictus fuit. Ante diluvium
neq; gens ulla fuit, neq; regnum: annorum autem circuitio
erat. In libro occultorum Enochi continetur scriptum, Vrie-
vriele an- lum angelum Enocho indicasse, quid mensis sit, quid solstitio
gelo pate- um, quid annus: ac annum quidem quinquaginta duabus
facta, constare septimanis.

Niceæ

Nicephorus lib. ix. Ecclesiast: histor: cap. 19.

Euphrates fluvius ex Armenijs manifestò apparens exoritur, ubi mons est Ararat, ab incolis ita appellatus, ad quem arcam Noë constitisse, sacræ produnt literæ, cujus etiam nunc ibi lignorum & clavorum non paucæ servantur reliquiæ. Inde primùm exiguus profluens Euphrates, quo longius fertur, eò major existit, plurima alia flumina in alveum simul & nomen suum excipiens. Majore autem & minore Armenia emensa, ultra progreditur, eam quæ peculiari nomine Euphratesia dicta est, deinde etiam reliquam secans Syriam. Hac porrò & illa post se relicta, omnisq; generis qua fluxit, helice divulsa, ubi Arabia propinquaturus est, refringitur; ac obliquè in circulum contra mare rubrum prolabens, & regionem non parvam sinuosè claudens, ad Cæciam ventum cursum convertit. Inde ubi inter Boream & Apelioten medius constitit, & ad Tigridem flumen procurrit, non totum se ei immiscet, sed portionibus tantum quibusdam medio intervallo amissis, parte reliqua, eaq; maxima et navigabili, in Tigrim eundem apud Susas omnis incidit, ac nomine suo amisso, cum illo in Persicum devolvitur sinum. Id porrò quod intra ista duo flumina protenditur terra, Mesopotamiæ nomen obtinet.

ΜΑΤΘΙΑΣ ΩΕ

ἀναγραμμάζουεν

ΤΑΜΙΑΣ ΘΕΩ

Μη μόνον ἀνθρώπων σοφίας ζητήμασι τέρπει,
Αλλὰ καὶ ἐξ ἁγίου ῥήματος ἐοθλα φέρες.
Τὸ ἕνεκα νῶ κληθῆσθαι, ἐπεὶ τὸ ταμείου ἀνοίγεις
Θεωπέσιον, **ΤΑΜΙΑΣ** ὑψιμέδοντι **ΘΕΩ**.
Ιδίμενων τοῦτος, ἔσῃ ποτὲ ἵκελος αὐγῆν
ἌΣ τέρει, καὶ κατὰ γῆρ σοι κλέος ἔσαι ὁμῶς.
Ωίμεν ὅπως θάλλῃς, ὑπὸ σὺ ἐν πολλὰκι πάχων
Εύχομαι εἰλικρινῆ, ᾧ φίλε λῶσε, νόω.

Φίλιππος μαθητὴς εἰς τὸ ἀληθὲς τῆς ἀληθείας
φιλίᾳς πενήτην κατέγραψε.



AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237




sb.

Wort







76

R. I. M. S.
CIVITATIO BIBLICA VIII.
è
IN TE SEPTIMO
OCTAVO GENESEOS,
quam
PRÆSIDE
MORONE GESNERO S.S.
SOCIETATIS DOCTORE ET PROFESSORE
Academia Vitebergensi pro viri-
bus defendet.
THIAS HÖE, Viennensis
Austriacus.
diem Martij 8. horis locoq; solitis.



WITEBERGÆ,
in M. Georgij Mulleri,
Anno clc lo xcviii.